

N. M. II 372<sup>a</sup>

h. 372, 23.

Von Gabr. Rabe in Wittenberg




X 23158 28

# LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

## D. IO. FLORENS RIVINVS

Pand. P.P. et ACAD. p.t. RECTOR.



4.9.2



Q. D. B. V.

**N**Undinis autumnalibus proxime elapsis, coorta quaestio est: quonam die debitor literarum cambiali-  
um, ad nundinas illas indefinite, nulla solutionis  
die speciatim inserta, directorum, solutionem praef-  
stare deberet, et quando, eadem dilata, adversus  
ipsum rigor cambialis locum haberet? In eo propemodum  
omnes convenient, debitorem, ob privilegium nundina-  
rum Caesareum, ad solutionem prima septimana plane non,  
sed secunda demum adigi posse; at qua posterioris huius  
die, et an creditori consueta solutionis dies, *der Zahl-Tag*,  
qui est quintus dictae septimanae, praecise expectandus sit?  
adhuc sub iudice lis est. Nonnulli, creditori ius exigendi,  
et paratissimam in personam debitoris executionem primis  
statim diebus secundi hebdomadis, die nempe Lunae, Mar-  
tis, Mercurii, indulgent; personas alii debitorum distin-  
guendas esse, et mercatoribus quidem, terminum solutionis  
peremptorium, quintam diem eius septimanae, quae solutioni-  
bus destinata, *der Zahl-Woche*, dandam, reliquis vero, nobilibus,  
civibus academicis, aliisque, necessitatem solu-  
tions facienda, prima statim die eiusdem septimanae, imponen-  
dam

dam esse censem. Nos neutras harum partium sequimur, potius quemlibet debitorem, cuiuscunque demum sit conditionis, ad solutionem literarum cambialium solennium, in nundinas Lipsienses promissam, die demum quinta auff den Zahl- Tag, obligatum iudicamus, ita, ut prius valide conveniri et rigor cambialis adversus ipsum se exere nequeat; nec discrimen inter literas proprias et trassatas admittimus. Movent nos, natura obligationis et doctrina de solutionibus; convictos reddunt sanctiones provinciales; et denique summa aequitas, aequale illud societatis vinculum, eandem sententiam svadet. Expediti enim iuris est, id, quod in diem debetur, ex quacunque demum causa sit, ante diem peti, eo nomine agi, debitoremque conveniri, antequam dies venerit, non posse L. 9. pr. π. de Reb. Cred. L. 24 π. de oper libert. L. 42 et L. 98 §. 1. π. de V.O. quotiesque tempus adiectum, illud expectandum esse, nec nisi eo praeterito, quantitatatem in obligationem deductam efficaciter petere licere L. 186. π. de R. J. nec peti debere, quod intra tempus comprehensum solvi potest; L. 18. §. 1. π. de verb. obl. nam cessit quidem dies, sed nondum, nisi elapsa die solutionibus alias destinato, venit, id est, cum effectu debetur. L. 213. π. de V.S. Imo ne eo ipso die, in quem stipulatio facta, petere permissum est, quia totus dies arbitrio solventis tribui debet, neque enim certum est, eo die, in quem promissum est, datum non esse, priusquam is praeterierit §. 2. J. de V. O. illud Spurinnæ, ad Caesarem exemplo est apud Svetoniu-  
m, Julio cap. LXXXI. venere utique Idus Martiae, sed nondum praeteriere. Addito ergo tempore, ut termino ad quem, id est finienda obligationis causa, pure quidem contracta intelligitur obligatio, et nata actio, in actu primo, sed tempus adiectum impedit sive suspendit actu secundum, seu efficaciam actionis, exceptione, non dicam dolli, tamen temporali, plus petitionis tempore L. 44. §. 1 π. de O.

et

*et A.L. 7. §. 14. π. quibus ex causis in possess. et tamdiu differtur obligationis executio conf. Arnold Vinnius. comment. ad §. 2.  
J. de V.O. Quid quod, agitata iam olim haec nostra controversia, de stipulatione in dies nundinarum concepta, inter Sabinum et Proculum, disceptantes, vtrum ex ea, prima statim die agi queat, an, non nisi omnibus diebus exactis? prout appetet ex L. 138. π. de V.O. cuius verba ita se habent: Eum, qui certarum nundinarum die dari stipuletur, primo die petere posse, Sabinus ait. Proculus autem, et ceteri diversae scholæ autores, quandiu vel exiguum tempus ex nundinarum spatio superes- set, peti non posse, existimant. cuius sententiam probat Venuleius, autor legis, et eandem amplectitur Pomponius, in L. 42. eod. his verbis: qui hoc anno aut hoc mensē dari stipulatus sit, nisi omnibus partibus praeteritis anni vel mensis, non recte petet. conf. Dn. Gotfr. Masov. Antec. Harderov. de Seſſis Sabinian et. Proculeian. cap. IX. §. XXXI. n. 3. Adeoque lis iam composita, nec novae ſeſſae Iectorum tolerari debebant. Pariter, leges Patrias et Provinciales claras deprehendimus et perspicuas. Etenim, Johannes Georgius II. Gloriosiss. mem. singulari Rescr. de dato. d. 21 Julii 1660. quod repetitum sub dato 4. Sept. 1669. in commodum Reipublicae sua, ad firmam magis fidem, et stabilienda commercia, rigorem cambiale, ad omnes in univerſum personas, negotia cambialia celebrantes, cuiuscunque fortis sint aut conditionis, nobiles aut ignobiles, literarum periti aut ignari, extendi voluit, et, cum eodem tempore propter conducedum Norimbergensem, vulgo des Nürnberg Geleits, cuius difcesum mercatores in ordinando termino solutionis obſervaverant, variae ambiguitates et difficultates se exererent, in eodem Rescripto, his simul obviam ivit, dum diem Jovis, vel quintum septimanae solutionibus dicatae, solvendis literis cambialibus generaliter statuit, hac ratione: Nachdem auch die Handels - Leute bisher geklaget, daß das Nürnberg Geleite im Abziehen von Leipzig keine Gewisse Zeit halte und*

gleichwohl solcher Abzug NB. der terminus der Verfallzeit, in  
der Zahlung seyn solle; Als ordnen und setzen wir, vielfältige  
Urrichtigkeit und Irrungen zu vermeiden, daß binführo der  
Donnerstag in der Zahl-Woche, oder wenn im Neuejahr's-Marcft  
der Marckt sich nicht auf den Sonntag anhebet, der ste Tag in  
der Zahl-Woche, eingerechnet den Tag wenn nach Ablauff der  
ersten Woche der Marckt ausgelautet wird, dazu depuriret. quæ  
sanctio totidem verbis, Ordin. Mercat. an. 1682. publicatæ, §. XIV.  
denuo inserta, subiunctis verbis finalibus: und ist diese Zeit  
nemlich der ste Tag in der Zahl-Woche, zu endlicher exaction  
derer Wechsel-Briefe verordnet, et §. XXV. omne plane dubi-  
um tollere videtur, siquidem expresse dicitur, quod demum  
die quinto, ob non sccutam solutionem, rigor cambialis et  
parata contra debitorem executio locum invenire debeat.  
Es soll von dem debitore auff den Verfalltag und endlichen Zahl-  
Termin (en diem certum quo peti cum effectu potest debi-  
tum,) die Bezahlung præcise per cassa, oder dem creditori an-  
stendige assignationes geschehen, oder sonstigen(ergo prioribus die-  
bus non audiendus creditor) nach Wechselrecht oder durch  
schleunige execution dieselbe zu suchen Macht haben und besugt  
seyn. Quibus legibus, quaeso, quid clarius esse potest? nonne  
vis legibus infertur, tenebrae in sole queruntur a dissentientibus?  
Porro omnes conventiones censendæ ex intentione & proposito contrahentium, quorum in hujusmodi adiectione nundinarum, cogitatio ejus diei est, qui omnibus est  
consuetus, vt in eum quoque eorundem differatur obligatio, et id actum voluisse præsumendi sunt, ne prius exactio  
fieret L.56. §4. π. de V. O. Igitur neque eius, qui cambio sub-  
scribit, ea erit intentio, ut ante tempus solitum obligetur, neque  
creditoris, literas cambiales accipientis, vt citius eundem  
obligatum habere velit, nec rationem iuris publici, et  
leges patrias mutasse invicem præsumuntur.

Sed audiamus rationes, quibus dissentientes, colorem suae  
fen-

sententia inducere fatagunt. Inquiunt, nundinas finiri o-  
&tiduo, eodemque campanarum sono, quo initium earum, finem  
quoque, effluxumque privilegii tempus, indicari. Deinde si-  
bi persuadent, in Rescriptis Electoralibus et Ordinatione Cam-  
biali, quaestionem faltem illam, quo usque exactionem vel prote-  
stationem sine periculi metu differre liceat, et quodnam illud sit  
tempus, quod debitori, absque praejudicio creditoris indul-  
geri possit, ? non vero illam insimul, quo tempore et die  
creditor iure cambiali adversus debitorem experiri valeat, de-  
cisam haberi. Proinde nemini debitorum ademtam faculta-  
tem, solutionem cambiorum, quae in genere ad solennes nundinas  
directa, tuto, vel ipsa prima aut sequente ejus septima-  
nae die, per scontrationem vti vocant, aut parata pecunia  
etiam praestando, se liberandi, illumque diem vocari tales,  
quantum ad ultimum eumque peremtorium solutionis ter-  
minum, qui novissimus, praecedentes, primum scilicet, secun-  
dum & tertium, non excludat, sed vi relationis, semper potius sup-  
ponat et involvat, ita scilicet, ut a primo statim secundae septi-  
manae die, agi ad solutionem ex cambio possit, non autem prae-  
cise debeat, sed differri etiam ad ultimum usque solutionis  
terminum queat, bis auff den allgemeinen Verfalltag, und endlichen  
Zahl - termin. At enim vero, quanquam privilegia il-  
la, quae ex Imperiali indulgentia promanant, saltim ad pri-  
mam sint restringenda septimanam, tamen a Prudentissimo  
Legislatore Saxone, in favorem commerciorum & solatium  
eorum, qui negotiis cambialibus sunt distracti, ea septima-  
na, Die Zahl- Woche, praeter priorem unicam, superaddita, et  
quintus dies, solutionibus terminus dictus: Proinde negamus,  
deficere in legibus certi diei mentionem, potius superius con-  
trarium iam evicimus: Et sicut absque ylla dubitatione, is,  
qui in literis cambialibus solutionem die Jovis expressis ver-  
bis promisit, non nisi eo praeferito valide conveniri poterit,  
ita eodem modo, is, qui generaliter, se futuris nundinis solu-  
turum,

turum, in cambio scripsit, ante diem solutionibus regulariter destinatam, ad solutionem non compellendus, virtualiter enim & ex lege inest, & dilationem continet L. 73. π. de V.O. adeoque non expressa, nocere non debent, sed subintelligi constitutus dies & legitimū tempus, quod suppletur ex lege *Jac. Godofredus ad Leg. XII. Tab. Tab. III.* Quod vero relietam arbitrio debitoris anticipationem solutionis attinet, est illa res meræ voluntatis et liberimi arbitrii, a qua, vt et a permissione legis, ad necessitatem solvendi, et potestatem agendi, nulla procedit consequentia; L. 17. C. de fideic nam juxta L. 137. § 2. π. de V.O. id, quod in diem certum debetur, ante diem quidem solvi, sed peti non potest, totum enim medium tempus, ad solvendum liberum promissori relinquitur; L. 38. §. 16. π de V. O. et, quod quis aliquo anno dare promittit, aut dare damnatur, ei potestas est quolibet eius anni die dandi, L. 50. π. de O. et A. tempusque in stipulationibus et obligationibus promissoris seu debitoris gratia regulariter adiectum censetur L. 41. π. de V.O. L. 17. π de R. J. adeoque intra constitutos dies se variis modis liberare poterit debitor, quamvis adversus ipsum denegetur actio. De coetero, non solum mercatorum causam peroramus, sed in vniuersum omnium eorum, qui negotia cambialia gerunt. Ut enim Ordinatio Cambialis statutum sit peculiare, quod se vnicē ad mercatores referre solet, attamen Rescripta Electoralia sunt leges vniuersales. Cum igitur sapientissimus Legislator, subditos suos, indistincte omnes, cambii arctissimo iure teneri voluerit, eundem quoque, neminem quoad reliqua capita, eademque favorabilia, in primis terminum solutionis, quem certum destinavit, eximere voluisse legis suae beneficio, palam est. Neque vlla appareat ratio, quare lege non distingueunte, illud nobis sumere velimus ut distinctionem aliquam nobis ipsis fingendo, inaequalitatem inter Nobiles, Doctores, aliasque in ducamus, deterioremque horum, ac illa priorum est reddamus

mus conditionem. Etenim, qui motus, quæ iniquissimæ se-  
quelæ nasci possent, si eodem in loco, iisdem in causis, diversa  
inducerent solutionum fatalia. Finge, aliquem, non mer-  
catorem, illustrem tamen, aut in dignitate constitutum;  
mercatori, acceptis literis cambialibus, nundinis autumnalib-  
bus redimendis, credidisse 1000; eundem vero iisdem nundinis,  
eandem, aut minorem longe summan debere; hunc die Lü-  
næ forte septimanæ solutionum, ex rigore cambiæ secundum  
aliorum opinionem arresto detinere, qui tamen, recepta die  
Jovis in sequenti, a mercatore, ea, quam ei crediderat  
suoque creditori cambiali destinaverat summa, tam exiguum  
debitum terque quaterque solvere potuisset, tam iniquum  
foret, quam quod iniquissimum. Luculenter ista apparet quo-  
que iniquitas ex sequentibus: in §. XII. Ord. Camb. iubentur  
Iudaei Christianis, quibus ex Cambio debent, nummos ad  
ædes vel ad tabernam deferre sponte, adversus hos, nul-  
la actio datur, nec protestatio admittitur, nisi ultimo mo-  
mento diei quintæ elapso; an igitur Judaei maiore favore di-  
gni erunt ac Christiani? At metum suspicionemque fugae  
vrgent dissentientes, exmora. Idem vero in debitorem  
cadit, cui apprehensio die lunæ iam imminet, nam nec hic,  
si solvendi animum non habet, sed fidem fallere constituit,  
primam illam diem expectabit, sed abitum, eo iam tempo-  
re parabit, quo omnes adhuc ex privilegio sunt immunes.  
Quamobrem nec accedere possumus sententiae Carpzovii  
Decis. CXXXII. existimantis, eum, qui iussus alicui pecuni-  
am Lipsiæ solito nundinarum tempore, zur gewöhnlichen Zah-  
lungs-Zeit exhibere, mandato, statim prima vel sequenti die  
solvendo, defunctum rite. Ego sane mandatario nunquam  
autor aut suasor forem, vt ante ultimum solutionis momen-  
tum solveret istam pecuniam, nam accipiens nummos, eos  
quidem retinebit, sed si interea temporis bonis laberetur  
mandans, vel etiam nondum præterlapso termino perem-

B

torio

torio, adeoque re adhuc integra revocaret mandatum, mandatarius semper obiectioni non rite gesti mandati, foret obnoxius; nam ius conditionatum & velut respectivum semper presupponit, si res in eodem statu usque ad terminum consuetum manserit. *B. Titius. Jur. Privat. Lib. X. Cap. V. §. 3.* Dissentit *B. Barth. Hodeg Forens. Cap IV. § IV. lit. o.* Qvod ad usum & observantiam fori attinet, equidem *Dn. Scabini Lipsia Dn. Deputatis ad res mercatorias ante hos triginta annos consulti, prima die septimanæ solutionum, exactionem probarunt, quod responsum integrum exhibent Dn. Barth. Hod. forens: Cap. IV. §. 4. lit. k* *Dn. Dondorff in dissertat. de termino solutionis peremptorio. Dn. Koenig ad Ord. Camb. Lips. §. XIV.* Et negari fortasse non poterit extare exempla quam plurima eorum, contra quos rigor cambialis intempestive viguit. laudatus etenim *Dn. Barthius* gloriatur, quod simulac sonus campanæ decursum privilegi monensis, remiserit, prima statim die, iteratis vicibus, ex cambiis, tam propriis quam trassatis & acceptatis, citari debitores cum effectu petierit. Sed mutarunt postea laudati *Dn. Scabini* priorem sententiam. Ita, cum anno 1716. Philip Salomon, coram Judicio Mercatorio Lipsiensi, Johan. Christopher. Lorenz. ex instrumento obligatorio, in quo solutio in der Neu-Jahr-Messe 1716. promissa, die 8. Januarii. d. a. in ius vocari curaret, reus opponebat exceptionem plus petitionis tempore; sequebatur quidem condemnatoria in fortem & usuras, sed interea temporis, & antequam sententia diceretur, terminus solutionis effluxerat. interim *DN. Scabino* ad exceptionem plus petitionis respexisse, exinde apparet, quod reum non simul in expensas condemnaverint, id quod alias pro qualitate processus executivi necessario fieri debuisse. Pariter leuteratione interposita, terminum a quo, usuræ computandæ, statuerunt demum a communi so- lu-

lutionis die, per sententiam publicatam d. 28. Mart. 1716 huius tenoris: *das darinne enthaltne interess Moræ aber, ist von dem Zahl-Tage der lezt abgewichnen Neu-Jahr-Messe an, zu rechnen.* Interim exoptandum est, ut *Serenissimus noster Princeps*, tantam incertitudinem lege tollat publica, omnes, qui negotia cambialia contrahunt, a motu iudicium variante tutos reddat, eorundemque honori & existimationi apud alios, sua faveat decisione. *Quæ, quamdiu adhuc speratur, tutissima via incedendum, cavendumque, ne tam delicate progrediamur, ut reprehensione digni appareamus, L 137. §. 2. w. de verb. obl. quin, actioni iniuriarum, vel ad emendam, quae ob iniustam incarcerationem non plane deneganda videtur, nos exponamus.*

Hæc de vexata illa, & in vtramque partem disceptata quæstiōne dicta iam sufficient, cum ad alia dubia iuris, in prælectionibus meis publicis circa Pandectarum doctrinam annotata, aut aliunde etiam hausta, excutienda publice in Auditorio nostro, producendi denuo sint, viri Iuvenes Nobilissimi

DN. JOHANNES CHRISTIANVS TUCHT-FELD Hartenst. Misn.

DN. CHRISTIANVS SCHWOPE Martisb.

DN. GODOFREDVS CAROLVS SCHU-MANN, Delit. Misn.

DN. CHRISTIANVS AVGVSTVS WEISSE Großolbersd. Misn.

DN. CHRISTIANVS HENRICVS PFEIFER Weida Varisc.

DN.



QK Tk 2932

DN CHRISTIANVS ERNESTVS WEISE  
Hohenst. Misn.

DN. CAROLVS PHILIPPVS JVST. Zittav.  
Lusat.

DN. ADAM FRIDERICVS MUHLPFORD. Jle-  
burg. Misn.

DN. GOTTHELF ZEIBIG. Dобр. Lusat.

DN. JOHANNES ROKENTHIEM. Longos. Thuring.

DN. EPHRAIM HERMAN. Trocedorff. Lusat.

DN CHRISTIANVS TEICHMANN Geith. Misn.

DN. CHRISTIANVS JMMANUEL HASSERT  
Lipf.

Qui, meo sub Praesidio, XIII. priores Libros Pandecta-  
rum, prout a Schoepfero, Synops. Juris Priv. traditi, singulis  
diebus Veneris, publice pro valvis indicandis, ab Hor. X ad.  
XII. respondendo quilibet ad integrum aliquem librum,  
prout ordine sequetur, ac opponendo, examinabunt. Qvi-  
bus eorum conatibus, ut omnium Ordinum Fautores litera-  
rum, in primis vero, Generosissimi atque Nobilissimi  
Iuris Cultores, praesentia sua frequenti faveant,  
eosdem invitatos cupio. Dabam Lipsiae Dom.

XXI. P. F. Trin. A. O. R.

M DCC XXIX.

---

Literis ZEIDLERIANIS.

B.I.G.

A vertical ruler scale from 1 to 19 inches. The scale is marked every 1 inch, with tick marks at each integer value from 1 to 19. The word "inches" is written vertically next to the scale.



Farbkarte #13

A color calibration chart featuring a 4x6 grid of colored squares. The columns are labeled from left to right as Blue, Cyan, Green, Yellow, Red, and Magenta. The rows are labeled from top to bottom as Black, 3/Color, White, and Black again. Each square contains a different color, and the overall image shows signs of aging and wear.

B. M. II. 372<sup>a</sup>

h.72, 23.

Von Zahl, Rabe bei Welschen

Пк  
2932

X 2315828

# LECTORI BENEVOLO

S. P. D

# D. IO. FLORENS RIVINVS

Pand. P.P. et ACAD. p.t. RECTOR.

